

www.e-rara.ch

D. Thaumaturga Einsidlensis

Betschart, Paul

[Einsiedeln], anno ... 1665

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24550>

Caput VII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)



CAPUT VII.

CÆCI EXTINCTUM

LUMEN OPE VIR-
ginis denuò impe-
trant.

Clarum Selex hoc solo capite Virtutis
Divina, qua per interventum Deipara
talia, ac tanta patrat, argumentum.
Eoque clarius, quò evidentius mira-
culum est, cacos repente Videre clarè
capisse. Utinam per ejusdem Deipara-
rentis gloriose, suffragium, qua pro-
ferre lumen cacis consuevit, hi quoq;
qui in ignorantia, seu perfidia tenebris
oberrant & tam admiranda, insolita-
que euenta insciantur, aut explodunt.
lumen Videant: & ad tam stupenda
eorum exempla, qui implorat à Matris
Dei ope oculis, quibus capti erant, cla-
rè Videre subito ceperunt: cacutre ipsi
mente desistant.

[Nille-

I.

Millesimus, quingentesimus, octogesima primus Christi annus cæco puero ope Virginis nostræ illuminato memorandus illuxit. Adduxerat Margarita Schulerin Friburgo Brüsgoiæ ad Heremum filium secum utroque lumine, quod maligni morbi vis totum extinxerat, captum; nilque penitus cementem. Ingressa Sacellum lachrymabunda obsecrari, & rogare Virginem cepit impensè, filio suo oculorum usum uti interventu suo redderet. Quibus precibus ubi ardentissimè instat, voti repentè damnata mater clarè videntem filium læta vidit, novâ veluti & ipsa, oculorum lumine filio reddito, donari luce sibi visa. Quæ sequenti pòst anno, ne ingratitude notam incurreret, rediit cum Evangelico alienigenâ ad Heremum, deditque laudem Deo.

II.

Decennio pòst Georgius Walther Grüssanus mirabilem etiam Dei Matrem in cæco filio est expertus. Is dum ruri agitans messis tempore per agrum pueriliter cursitat, incertum quo, aut

quali, miserabili tamen casu oculorum lumen amisit. Cæcus igitur, omnisq; lucis expers domum ductus graves patri quoque mœroris tenebras offudit. Qui ubi inopinato filij casu vehementer commotus, ignarus tamen uti accidisset (nam neque filius id ætatis quomodo cernere desisset, decernebat) necquidquam Medicorum opem præstolatur, ad Divam nostram spem, & vota convertit. Hanc enixissimè donum juxta, & peregrinationem vovens comprecatur, cæco filiolo lumen oculorum uti restitueret, quæ proferre lumen cæcis consuevisset. Vbi sequens illuxit dies, ortam solis lucem puer quoque lætus aspexit, congratulante parente, cui tantò jucundius spectaculum erat, clarè videntem videre filium, quanto acerbius antea cæcum eundem spectasse.

III.

ANno eiusdem sæculi nonagesimo septimo Mariæ Fuetterin ex Wächsettschveiler gravis primùm lippitudo oculos occupavit. Ea deinde, ac tanta secuta suffusio, quæ totam aciem vehementer hebetavit. Postremò variâ ophthalmicorum operâ amissum ex parte lu-

men reparare conata, totum deperdidit. Ergo ubi annum ferè totum in tenebris egit, nullam unquam ingressa viam nisi à viæ comite manuducta, cæpit tandem in tanta cæcitatæ ærumna pio animi obrutu, cùm corporis non posset, ad cæli Reginam respicere, quando cæli intueri lumen nequibat. Venitque paulò pòst cum Matre comite simul, ac duce ad Heremum. Ibi posteaquam uno ambæ animo, ac voto in augusto Sacello supplices auxilium Virginis summis precibus enixissimè imploravere, petitionis subitò compotes sunt factæ. Nam deteresa extemplo omni cæcitate, visuque perspicaci, & acuto, ut antea usa fuerat, valens filia, non jam deducente, sed collætantate matre lætabunda, & laudans Sacello egressa fuit. Rem certam licet, certiozem reddidere Ambrosii Grassi Iurisconsulti, & id temporis Rudolphi Secundi Cæsaris nomine in Suevia Procuratoris publicæ litteræ tanti miraculi testes.

IV.

Biennio pòst Martino Weidenman Meyano simili Deiparentis beneficio videndi restituta facultas est. Cæcus is nescio

nescio, quo casu factus, tristem in tenebris vitam trahebat, ereptaque luce corporis animo quoque adeo conciderat, ut vitæ etiam ipsius hominem tæderet. Magno sumptu, sed frustra in Medicos profuso reparare visum conabatur jam non magis orbis oculis, quàm loculis exhaustus. Itaque ad Divina postremò remedia conversus, voto Deiparæ nuncupato, peregrinabundus ad Heremum iter parat, moxq; præeunte duce viam ingressus repente videre cæpit, ut ad cæptum iter prosequendum duce nequaquam indigeret amplius, facilèque intelligeret Dei Matrem & viæ ducem, & reparatricem simul luminis sibi affulxisse, cui proinde non jam pro accipiendo supplicaturus, sed pro accepto protinùs beneficio acturus grates ad Heremum approperavit.

V.

GEorgio Braun Alsatæ filia erat Magdalena nomine. Hæc per æstatem colligendis frugibus intenta, fortè culmo oculum magna vi immerferat, graviterque adeo læserat, ut amissum inde lumen humana ope recuperandi spes quoque omnis amissa esset. Ergo dum
actum

actunt agunt Medici, neque ex eorum opera spei, & lucis quidquam affulget, puellæ parens ad Virginem Heremitanam fiduciam transfert, votoque pro filia sese obstringit. Quod dum præfens in Heremo persolvit, subito clarè videntem puellam lætus intuetur, gratèque ingentes ingeminans simul experimento didicit, hand præsentibus oculorum collyrium, quàm Dei Genitricis auxilium, esse.

VI.

ANno deinde pòst millesimo, sexcentesimo, quadragesimo primo Curia Rhetorum in puello bimestri quiddam id generis evenit, quod verè miraculum dixeris, Divinæque virtutis evidens argumentum. Erat quidam Sebastianus Mayer, qui id temporis Curienti Episcopo operam suam in colendo horto locaverat. Cùm filiolum, cui in saluari Baptismi lavacro Curia in Cathedrali templo abluto Ioanni nomine inditum ex Maria Morhartin conjugè suscepisset: paulò pòst utriusque parentis conceptum ex partu gaudium in mœrorem vertit. Paucis enim à partu diebus puerulus oculos occludere, nec
dein-

deinceps aperire ultrà , sed obductis palpebris , nihil penitus videre maligno humore exundante , & lumen extinguente. Mœsti parentes cùm non minùs orbum visu filiolum , quàm si eo planè orbatì essent , lamentarentur , factò demùm voto donum simul polliciti Virg. Heremitanæ enixissimè supplicavere , filiolo uti suo recens in lucem nato , oculorum lucem redderet. Visique statim sunt nonnihil impetrasse parentes , cùm recluso altero oculo infans videre videretur. Sed ut non tam beneficium , quàm ingens miraculum eluceret magis , ocellorum alter purulento humore exesus excidit , & pupilla , vacuo relicto sinu , integra defluxit , quam mœrens mater excepit manu. Tum verò nihilominus perseverantibus miscere precibus vota parentibus , mirum dictu ! puerulo protinus nova pupilla , & inaudito prorsus miraculo enata , & succrevit filiolo lucem reddidit , simulque parentibus ubique rem deprædicantibus , laudesque DEO , ac Deiparæ ingeminantibus mœroris tenebras absterfit. Pupillæ succrescentis denuo plures oculati testes fuere.

Sed

Sed & sequenti pòst anno, quo celebrata fuit Dedicacionis Angelicæ solennitas, pupilla, quæ defluserat, frequenti populo pro concione palam ostensa, uti omnes Divinæ virtutis admiratione implevit, ita in amorem, & fiduciam Virginis Deiparæ mirificè accendit.

VII.

Circa annum 43. præsentis sæculi Ioannes Martinus Retterhaber Friburgi Brisgoiæ civis expolire crystallum, & lævigare gnarus fortuito casu alterius oculi iacturam ferè fecerat. Nam dum incumbit ad opus, fortè retortâ contrario motu rotâ triceps diffracti crystalli frustillum dissiliens, & in oculorum alterum magna vi illisum gravissimè læserat. Cum in hærente fragmine, tumore, & sanguine sædè suffunderetur oculus: ipseque videndi usu extremè periclitans graviter angere-
retur, Deiparæ Heremitanæ votum vovet. Vixque factum, cum crystal-
lus protinus excidit, oculo ita sano, ac integro, ut ne læsionis quidem ullum vestigium extaret: ille verò memori, gratoque animo acceptæ sanitatis monumentum in Heremo relinqueret.

VIII.

IN Solodorenſium agro haud procul Solodoro urbe Virgo quædam Vrſula Tſchos ex diuturno, & graviffimo, quo afflictabatur, morbo lumen oculorum amiſerat. Aliquot menſes viſu penitus carens miſerabilem in tenebris vitam exegerat. Neque miſeræ opis quidquam ex varia Medicorum opera allatum. Igitur recipiendi viſus cùm aliunde ſpes aſfulgeret nulla, Virginē noſtram impenſiffimè invocat, votoquè eidem factò, lumen oculorum ut ſibi impetret, rogat. Statimquè ingenti gaudio exiliens perfectè veluti antea uti oculis cæpit, ſimulquè quantum in Deiparentis ope, & interventu momenti ſit, clarè videre.

IX.

Nicolai Spacht Tyrolenſis filix quinquenni ſiniſtrum oculum præterito proximè anno quinquageſimo ita glaucoma inſederat, obduxeratq; , ut & acerbos dolores inferret, & omnem ſimul videndi facultatem eriperet. Itaque cum non minùs de amiſſo lumine, quàm immiſſo dolore afflictarerur, compaſſa afflicte puellæ mater, & piorum ho-

mi-

minūm hortatu permota Divæ nostræ conceptis verbis unà cum filia supplicem ad Heremum sese primo tempore invisuram votum fecit. Et proxima statim nocte glaucoma evanuit, & postero die perfectè, clarèque filia vidit, atque unà cum matre gratulabunda, & laudans Dei Matrem in Heremo inyisit.

X.

Eodem anno Thomas Herme Müllhusii civis utroque oculo captus, ubi primū in Deiparæ subsidio piæ mentis intuitum defixit, ac nuncupato voto rogare eandem precibus institit, extemplo videndi facultatem recepit, clarisque oculis Solis lumen, simulque Numen Virginis videre, & experiri promeruit.

XI.

ELapso proximè anno quinquagesimo primo Petrus Hermenius è pago Ragaz apud Sarunetes oriundus, senex septuagenario maior, ad Heremum venerabundus, & gratulans venit. Voti, ac peregrinationis causa hæc erat. In suprema illa ætate extremam cæcitatem incurrerat utroque lumine captus. Gravis jam homini senectæ erat, sed mul-

eò gravior cæcitas, gravissimum verò
 utrūq; simul acciderat. Mensibus aliquot
 per tenebras exactis Deiparæ, quæ in Al-
 goiæ sacra æde miraculis etiam celebri
 colitur, Virginis Auxiliatricis dictâ, vo-
 tum facit. Et videre quidem non nihil
 cæpit, sed hebeti oculorum acie, & sub-
 obscurâ. Vbi verò amicorum suâsu,
 ophthalmicis incidendos, ut visu pleni-
 ori potiretur, oculos tradidit, in easdem
 subitò tenebras recidit, & eò deteriùs
 quòd & visu jam careret penitùs, & a-
 cutos simul, quibus carebat ante, dolo-
 res pateretur. Igitur ad certius postremò
 remedium versus Virgini Heremitanæ
 votum nuncupat, intenta mentis acie o-
 culorum aciem ab eadem precatus. Ne-
 que multùm intercessit temporis, cùm
 voto, visuque potitus lucem, & Dei-
 parentis benignitatem claris
 oculis usurpare cæ-
 pit.

